

A **Diui Ambrosii**

MEDIOLANENSIS EPISCO-  
PI HEXAMERON LIBR.  
PRIMVS.

De opinionibus philosophorum circa rerum prin-  
cipia, mundique vnitatem ac durationem errantium.

Caput I.



**L**ANTVM N<sup>o</sup> opinionis a sumptis  
se homines, vt aliqui eorum tria  
principia constituerunt omnium,  
deum, & exemplar, & materiam: si-  
cut Plato, discipulique eius: & ea  
in corrupta & increata, ac sine ini-  
tio esse aliteraret: deumque nō  
tanquam creatorem materie, sed  
taquam artificem ad exemplar, hoc est ideam intenden-  
tem, fecisse mundum de materia quam vocant hylem,  
quæ gignendi causas rebus omnibus dedisse asseratur:  
ipsum quoque mundum incorruptum, nec creatum aut  
factum existimarent: alii quoque, vt Aristoteles cum  
suis disputandum putauit, duo principia ponerent, ma-  
teriam, & speciem: & tertium cū iis quod operatoriū di-  
citur, cui suppeteret competenter efficere quod ad oriū-  
dum putasset: Quid igitur tam inconueniens, quam vt  
æternitatem operis cum dei omnipotentis coniungerent  
æternitate, vel ipsum opus deum esse dicerent, vt  
caelum & terram & mare diuinis prosequerentur hono-  
ribus? Ex quo factum est vt partes mundi deos esse  
crederent: quanuis de ipso mundo non mediocris  
inter eos quæstio sit. Nam Pythagoras vnum mun-  
dum asserit, alii innumerabiles dieunt esse mundos, vt  
scripsit Democritus, cui plurimum de physicis autho-  
ritatis vetustas detulit. Ipsum quoque mundum semper  
fuisse & fore Aristoteles vsurpat dicere. Contra autem  
Plato nō semper fuisse, sed semper fore præsumit astrue-  
re. Plurimi verō nec fuisse semper, nec semper fore scri-  
ptis suis testificantur. Inter has disensiones eorum quæ  
potest esse veri æstimatio, cum alii mundum ipsum deū  
esse dicant, quod ei mens diuina, vt putant, in se vide-  
atur: alii partes eius, alii vtrūq; in quo nec quæ figura sit  
deorum, nec qui numerus, nec qui locus aut vita possit  
aut cura cōprehendi: Si quidem mundi æstimatione vo-  
lubilem, rotundum, ardentem, quibusdam incitatum  
motibus, sine sensu deum conueniat intelligi, qui alie-  
no non suo motu feratur.

De confutatione præmissarum opinionum per san-  
ctum Moysen docentem in principio deum fecisse celum  
& terram. Caput II.



**V**NDE diuino spiritu præuidēs sanct<sup>9</sup> Moy-  
ses hos hominū errores fore, & iam forte  
cepisse, in exordio sermonis sui sic ait: In  
principio fecit deus celū & terrā. In initium  
rerum, autorem mūdi, creationē materie  
cōprehendēs vt deum cognosceres ante initium mūdi esse,  
vel ipsum esse initium vniuersorum: sicut in euange-  
lio dei filius dicentibus sibi. Tu quis es, respondit: Initi-  
um, quod & loquor vobis, & ipsum dedisse gignendis  
rebus initium, & ipsum esse creatorem mundi, non idea  
quæda duce imitatore materie, ex qua nō ad arbitriū  
suum, sed ad speciem propositam sua opera formaret.  
Pulchrē quoque ait: In principio fecit. vt incompre-  
hensibilem celeritatem operis exprimeret, cum affectū

præ operationis impletæ, quam indicium ceptæ expli D  
cuisset. Quis hoc dicat, aduertere debemus. Moyses.  
vtique ille eruditus in omni sapientia Aegyptiorum,  
quem de flumine collectum filia Pharaonis vt filium  
dilexit, & subsidiis regalibus sultum, omnibus secula-  
ris prudentiæ disciplinis informari atq; iustriui deside-  
rauit. Qui cum de aqua nomen accepit, non putauit  
tamen dicendum quod ex aqua cōstitarent omnia, vt  
Thales dixit. Et cum esset in aula educatus regia: ma-  
luit tamen pro amore iustitiæ subire exilium volunta-  
rium, quam in tyrannidis fastigio peccati perfusionē  
deliciis acquirere. Denique priusquam ad populi libe-  
randi munus vocaretur, naturali æquitatis studio pro-  
uocatus, accipientem iniuriam de popularibus suis vs-  
tus, inuidiæ sese dedit, voluptati que eripuit: atque om-  
nes regia domus declinans tumultus, in secretum AE-  
thiopiæ se contulit, ibique à cæteris negociis remotus,  
totum diuinæ cognitioni animum intendit, vt gloriam  
dei videret facie ad faciem. Cui testificatur scriptura quæ  
nemo surrexit amplius Propheta in Israel sicut Moyses  
qui sciuit dominum facie ad faciem. Non in visione, ne-  
que in somnio, sed ore ad os cum deo summo locutus:  
neque in specie, neque per ænigmata, sed clara atque p-  
specia presentia diuinæ dignatione donatus. Ita que  
Moyses aperuit os suum, & effudit quæ in eo dominus  
loquebatur, secundum quod ei dixerat cū eum ad Pha-  
raonem regem dirigeret: Vade ergo, & ego aperiam os  
tuum, & instruam te quid debeas loqui. Etenim si quod  
de populo dimittendo diceret, à deo acceperat, quanto  
magis quod de celo loqueretur: Denique non in persua-  
sione humanæ sapientia, nec in philosophiæ simulato-  
riis disputationibus, sed in ostensione spiritus & virtu-  
tis tanquam testis diuini operis ausus est dicere: In prin-  
cipio fecit deus celum & terram. Nō ille vt atomorum  
concurfione mundus coiret, serum atque ociosum ex-  
pectauit negocium: neque disciplinam quandam mate-  
ria, quam contemplandum mundum possit efficere, sed  
authorem deum exprimendum putauit. Aduertit enim  
vir plen<sup>9</sup> prudentiæ, quod visibilia atque inuisibilia  
substantiarum, & causas rerum mens sola diuina conti-  
neat, non vt philosophi disputant, validiorem atomo-  
rum complexionem perseuerantiæ iugis præstare cau-  
sam: & iudicauit quod telam aranæ texeret qui si mi-  
nuta & insubstantia principia celo ac terris darent, quæ  
vt fortuito cōiungerentur, ita fortuito ac temere dissol-  
uerentur, nisi in sui gubernatoris diuina virtute con-  
starent. Nec immerito gubernatorem nesciunt, qui non  
nouerunt deum per quem omnia reguntur & gubern-  
antur.

Quod non vanis abduci debeamus opinionibus, sed  
sequi ipsum Moysen, qui & authorem mundi nouit &  
gubernatorem. Caput III.



**S**EQVAMVR ergo eum qui & authorem no-  
uit & gubernatorem, nec vanis abducatur  
opinionibus. In principio, inquit. Quam bo-  
nus ordo, vt illud primum assereret, quod  
negare consueverunt, & cognoscerent principium esse  
mundi, ne sine principio mundum esse homines arbi-  
trarentur. Vnde & Dauid cum de celo & terra & mari  
loqueretur, ait: Omnia in sapientia fecisti. Dedit ergo prin-  
cipium mundo, dedit etiam creaturæ infirmitatem, & ne  
anarchon, ne increatum, & diuinæ confortē substantiæ  
crederem<sup>9</sup> Et pulchre addidit de celeritate cōditionis  
Fecit, ne mora in faciendo fuisse æstimaretur: vt vel sic  
intelligerent homines quam incomprehensibilis ope-  
rator esset, qui tantum plus breui exiguoque momen-  
to sue operationis abfolueret, vt voluitatis effectus sensu  
tēporis præueniret. Nemo operantem vidit, sed agnouit

Ioan. 8.

Psal. 103.

in forme  
materiæ.